Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus ascetico-theologicus de conscientia erronea - Cod. Ettenheim-Münster 75

Cartier, Jean-Baptiste

[S.l.], 1733

Articulus 2

urn:nbn:de:bsz:31-108631

Visual Library

efferatus; et iste videtur aeternae damnationi propinquus.

Articulus 2.dus
Quaenam sint causae scrupulorum?

De ortu ac causis scrupulorum pulchrè disserit D. Antoninus loco supra cit. his verbis: Causatur ista scrupulositas inducens tempestatem multorum malorum quandoq; ex complexione ad timorem idonea, ut est complexio frigida: puta in foeminis vetulis et melancholicis; timor enim naturaliter secundum Damascenum cor constringit, sicut et frigida constringunt et congelationem faciunt, ad quem motum contractionis imaginatio movetur à timoris dispositione; ita ut concipiat quis, aliquod esse futurum malum et per consequens fugiendum.

Quandoq; causatur scrupulus ex aegritudine manica vel melancholica, quae est infirmitas capitis; per quam laditur imaginatio, et quandoq; ratio....

B

Causatur et aliquando scrupulus ex tentatione diabolica; potest enim Diabolus Deo permittente movere melancholicos humores in homine, per quos imaginatio, vel errare, vel turbari ~~ad~~ potest ad timorem inordinatum.

Aliquando verò procedit scrupulus ex regiminis corporalis negligentia scil: per nimiam abstinentiam vigilias et huiusmodi. Unde D. Hieronymus, rationalis hominis (: inquit :) dignitatem amittit, qui vel ieiuniū charitati, aut vigilias præfert sensus integritati, ut per immoderatā abstinentiā, atq; indiscretam psalmorum vel officiorum decantationem, aut amentiæ, aut tristitiæ, idest melancholiæ notam incurrat.

Rursus causantur subinde scrupuli ex societate timidorum; nam unus scrupulosus facit aliū scrupulosum.

Præter has causas, quas iam ex D. Antonino recensuimus possunt adhuc aliæ hîc referri, utputa 1.mo Respectus humanus et superba sui ac scientiæ suæ confidentia; Et hæc plærumq; apud Doctiores locū habet, sæpe enim contingit, ut hi à Patre superbiæ infernali serpente

variis suggestionibus attentati, paulatim in dubia, ac demũ in scrupulos incidant, Deo sic permittente ad eorum retundendã superbiã.

2do Inordinatus amor sui ipsius et ex hoc amore nimia sollicitudo cavendi omne id, quod speciem mali habet. Dũ enim huiusmodi homines continuò sibi insinuant; cave peccatum, cave tibi, sine causa se ipsos intimidant.

3tio Nimia mentis applicatio ad Dei inscrutabilia judicia, ac continua Novissimorum memoria; hæc enim cor constringunt, ac varias in animo anxietates pariunt.

4to Voluntas Dei. Sæpe enim immituntur scrupuli à Deo miserante, quo nos ~~purg~~ vel purget à malis admissis, vel retrahat ab admittendis, tum etiã ~~nos~~ ut nostrã domet superbiam et humilitatis exercendæ subministret materiam.

5to denique inter causas principales scrupulorum meritò recensari debet ignorantia, quando nimirum Dei aut Ecclesiæ præcepta perperã intelliguntur, quando discerni nequit

inter judicium speculativum et practicum, inter suggestionem malam et consensum in illam, inter gravem et levem culpam &c.

Removendae igitur sunt huiusmodi causae, ita concludit D. Ant. cit. loco, ne ipsa pusillanimitas tempestatem inducat, et demum in infernum devolvat, quod inde consequi ostendit psalmista qui postquam dixit: non me demergat tempestas aquae, subdit neque absorbeat me profundum, id est infernus. Sed priusquam id praestemus, quaedam alia praemittenda sunt.

Articulus 3tius

Utrum scrupuli quandoque sint utiles?

Plures afferri solent rationes, quibus probantur scrupuli interdum esse valde utiles, nec pauciores adducuntur quibus evincuntur esse summè noxii. Rationes, quae eorum utilitatem demonstrant, sunt potissimum sequentes.

1ma est; Quia scrupuli multum conducunt ad purificandam conscientiam, ut art. praecedenti iam innuimus; hinc fit, quod qui in vita variis fuit afflictatus scrupulis cum